RUDIMENTA PIETATIS,

Quibus accessit summula *CATECHISMI*,

Ad piam Juniorum educationem apprimè utilis.

1 Tim. 4. 8.
ad omnia utilis est, promissiones habens presentis & futuræ vitæ.

Edinburgi, Excudebant Hæredes & Successores *Andreæ Anderson*, Typographi Regiæ Majestatis, 1695.

Alphabetum Latinum.

A a b c d e f g h i k l m n o p q r
ſ t u x y z &.

A B C D E F G H I K L M N O
P Q R S T U X Y Z.

æ œ á é ï ô ù.

In Nomine Dei Patris, Filii & Spiritus Sancti, Amen.

Oratio Dominica, Mat. 6.

PAter noſter, qui es in Cœlis. 1. Sanctificetur Nomen tuum. 2. Veniat Regnum tuum. 3. Fiat voluntas tua, quemadmodum in Cœlo, ſic etiam in Terra. 4. Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie. 5. Et remitte nobis debita noſtra, ſicut & nos remittimus debitoribus noſtris. 6. Et ne nos inducas in tentationem, ſed libera nos à malo: Quia tuum eſt Regnum, & potentia, & gloria, in ſecula. *Amen.*

Symbolum Apoſtolicum.

CRedo in Deum Patrem Omnipotentem, Creatorem Cœli & Terræ. 2. Et in Ieſum Chriſtum, Filium ejus unigenitum, Dominum noſtrum. 3. Qui conceptus eſt è Spiritu ſancto, Natus ex *Maria* Virgine. 4. Paſſus ſub *Pontio Pilato*, crucifixus, mortuus, & ſepultus; deſcendit ad inferos. 5. Tertio die reſurrexerit à mortuis. 6. Aſcendit ad Cœlos, & ſedet ad dextram Dei Patris omnipotentis. 7. Unde venturus eſt ad judicandum vivos & mortuos. 8. Credo in Spiritum ſanctum. 9. Credo ſanctam Eccleſiam Catholicam. Sanctorum communionem. 10. Remiſſionem peccatorum. 11. Carnis reſurrectionem. 12. Et vitam æternam. *Amen.*

Decalogus, ſive Lex Dei.

Loquutus eſt Deus omnia verba hæc, Exod. 20.

EGo ſum Dominus Deus tuus, qui eduxi te ex Egypto, è domo ſervitutis.

I. Non habebis Deo alienos in conſpectu meo.

II. Ne ſculpas tibi ſimulacrum, nec ullam imaginem effingas eorum quæ aut ſupra ſunt in Cœlo, aut infra in Terrâ, aut in Aquis ſub Terra; neque incurves te illis, neque colas ea. Ego enim ſum Dominus Deus tuus fortis, Zelotes, vindicans peccata patrum in filios, idque in tertia & quarta progenie eorum qui oderunt me, & miſericordiâ utens in milleſimam eorum qui diligunt me, & obſervant præcepta mea.

III. Ne uſurpes Nomen Domini Dei tui temerè. Neque enim Dominus dimittet eum impunitum, qui nomen ejus vanè uſurpaverit.

IV. Memento diem Sabbathi ut ſanctifices: Sex diebus operabis & facies omne opus tuum. At ſeptimo die Sabbathum erit Domino Deo. Non facies ullum opus, nec tu, nec filius tuus, nec filia tua, nec ſervus tuus, nec ancilla tua, nec jumentum tuum, nec advena qui eſt intra portas tuas: Nam ſex diebus fecit Deus Cœlum, Terram & Mare, & quæcunq; in iis ſunt, & requievit die ſeptimo, ideoq; benedixit diei Sabbathi, & ſanctificavit eum.

V. Honora Patrem tuum, & Matrem tuam ut diu vivas in terra, quam tibi Dominus Deus tuus daturus eſt.

VI. Non occides.

VII. Non committes adulterium.

VIII. Non furaberis.

IX. Non dices contra proximum tuum falſum teſtimonium.

X. Non concupiſces domum proximi tui, non concupiſces uxorem proximi tui, nec ſervum ejus, nec ancillam, nec bovem, nec aſinum, nec quicquam eorum quæ ſunt proximi tui.

SUMMA

SUMMA LEGIS, *Mat.* 22. 34.

PHarisæi quum audivissent, quod IESUS *silentium imposuisset Sadducæis, congregati sunt pariter.* 35 *Et interrogavit eum unus ex iis, qui erat Legisperitus, tentans eum.* 36. *Præceptor noster, Quod præceptum maximum est in Lege?*

37. IESUS autem dixit illi, ut diligas Dominum Deum tuum, ex toto corde tuo, & ex tota anima, & ex omni cogitatione tua. 38. Hoc est præceptum maximum & primum. 39 Secundum autem est simile illi: Nempe, Ut diligas proximum tuum sicut teipsum. 40. Ex his duobus Præceptis pendent Lex & Prophetæ.

Quot sunt Christianæ Ecclesiæ Sacramenta?
Duo.
Quæ sunt illa?
Baptismus & sacra Cœna Domini.

INSTITUTIO BAPTISMI.

Cujus hæc sunt Verba, Mat. 28. 19, 20.

ITe & docete omnes gentes, baptizantes eos, *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*: Qui crediderit, & baptizatus fuerit, servabitur: Qui non crediderit, condemnabitur; Et docete eos, ut custodiant quicquid mandavi vobis: & ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem sæculi. *Hæc promissio repetitur cum Scriptura Baptismum nominat,* Lavacrum regenerationis, & ablutionem peccatorum, *Tit.* 3. 5. *Act.* 22. 16.

Inſtitutio Cænæ Domini.

Cujus hæc ſunt verba, 1 *Corinth.* *Cap.* 11: *verſ.* 23.

EGo enim accepi à Domino noſtro id quod tradidi vobis: Quod Dominus noſter Ieſus Chriſtus, ea nocte, qua proditus eſt, accepit panem & gratiis actis, fregit, ac dixit: Accipite, manducate, *Hoc eſt corpus meum, quod pro vobis frangitur: Hoc facite ad memoriam mei.* Itidem & poculum, poſtquam cœnaſſent, dicendo, *Hoc poculum eſt novum illud fœdus per meum ſanguinem:* Hoc facite quotieſcunque biberitis, in mei recordationem: quotieſcunque enim ederitis panem hunc, & poculum hoc biberitis, mortem Domini annunciabitis, uſque quo venerit. Itaque quiſquis ederit panem vel biberit poculum Domini indigne, reus eſt corporis & ſanguinis Domini. Probet autem quiſque ſeipſum, & ita de pane illo edat, & de poculo illo bibat: Nam qui edit & bibit indignè, damnationem ſibi ipſi edit & bibit, quia non diſcernit corpus Domini.

Hæc promiſſio a Paulo exprimitur, cum inquit.

POculum gratiarum actionis, quo gratias agimus, nonne communio eſt ſanguinis Chriſti? Panis quem frangimus, nonne communio eſt corporis Chriſti? quoniam unus panis unum corpus multi ſumus. Nam omnes unius panis participes ſumus.

R U-

RUDIMENTA PIETATIS.

Triplex hominis ſtatus.

1 In ſanctitate & ſanitate.
2 Sub peccato & morte.
3 Sub Chriſti gratia.

1 Homo liber cum creatus.

QUÆSTIO.

QVis hominem creavit?

Reſponſio.

1 DEUS.

Q. *Qualem creavit eum?*

2 R. Sanctum, & ſanum, mundique Dominum.

Q. *In quem uſum creatus eſt?*

3. R. Ut Deo inſerviret.

Q. *Quod ſervitii genus ab eo exigebat* DEUS?

4. R. Legis ſuæ præſtationem.

Q. *Num in Legis Dei præſtatione perſtitit?*

5 R. Nequaquam: ſed cum fœdè tranſgreſſus eſt.

Q. *Quæ hujus tranſgreſſionis pœna?*

6 R. Mors æterna cum animæ tum corporis: & (a) ipſi & poſteris.

Q. *Quomodo inde liberamur?*

3. Liberatus cum credit in CHRISTUM.

SCHOLA.

1 *Primæva Dei in hominem beneficia.*

1 *Quod eſſet.* 2 *Quod homo eſſet.* 3 *Quod Dei ſimilis, nempe ſanctus, & ſanus, mundique Dominus.*

2 *Ex lapſu enim cum in peccatum, tum in morbum, mortemque incidit: peccato enim non modo fœdati, reorumq; dominio exuti, ſed graviter vulnerati, atque adeo trucidati ſumus.*

2 Captivus cum peccavit

Porro vide unde miſer homo excidit. Fuit beatus primus in internis, æterniſq; deinde in externis; interna fuerunt ſanctitas, ſanitaſque, omnium partium animæ ac corporis, &c.

Externa: rerum dominatus, opes & copiæ. 3 *Sed fraude Diaboli his omnibus fuit everſus, factuſque miſer.* 4 *Nam quid æquius.* 1. *Quam ut opifici opus ſuum ſerviat.* 2. *Quid nobis conducibilius quam finem ad quem conditi ſumus aſſequi.* 5. *Modus liberationis per mortem Chriſti: Ea enim eſt noſtræ fælicitas.* 6. *Non es factus in alium finem, quam ut ſervias Deo, unde ni ei ſervias, nulli ei uſui niſi ut in æternum pereas, juſtitiæ ejus declarandæ cauſa.* Qui liberari Fideles.

7. R. Mors

7. *Mors Duplex. Animæ & corporis, in hac vita moritur anima simul ac peccat: Deum enim qui animæ vita est deserit; moritur corpus dum ab anima deseritur. In futura utrumque morietur: dum sempiternisque supplicijs totus homo macerabitur.*

Verbi Dei partes Lex & Evangelium. 2. Hæc pœna inflicta est posteris, quia omnes in *Adamo* peccavimus; qui autem peccat jure punitur. Peccati enim comes est pœna vindice justitia.

8. *Homo fuit, ut mori posset, hominisque debitum exsolveret: Deus ut moriendo mortem vinceret; ne mors Dei hominisque hostis amplius in hominem dominaretur.*

9. *Ex peccato debitum contraximus, unde obligati sumus, ut æterne moriamur. Sed pertulit hanc mortem Christus pro nobis, nosque exsolvit.*

7. R. Mera Dei gratia in Christo Iesu absque nostris meritis.

Q. Cujusmodi persona est Christus?

8. R. Verè Deus, verèque homo in persona una.

Q. Quomodo nos liberavit?

9. R. Morte sua: mortem enim nobis debitam pro nobis sublit, nosque eripuit.

Q. Num omnes liberantur per Christum?

10. R. Minime: sed il tantum qui fide eum amplectuntur.

Q. Quid est fides?

11. R. Cum mihi persuadeo, Deum, me, omnesque Sanctos amare, nobisque Christum, cum omnibus suis bonis gratis donare.

Q. Recense summam tuæ fidei?

12. R. Credo in Deum Patrem, &c.

Q. Quis operatur hanc fidem in nobis?

13. R. Spiritus sanctus per Verbum & Sacramenta.

Q. Quomodo eam operatur per Verbum & Sacramenta?

10. *Nam justus ex fide vivit, & qui fide caret, ei sub morte & ira Dei æternum habitandum est.* 11. *Nam de fide est duplex persuasio.* 1. *De amore Dei erga nos.* 2. *De Dei beneficiis quæ ex amore fluunt: Christo nimirum, cum omnibus suis bonis. Hinc duæ Symboli partes.* 12. *De Dei Patris, Filii, & Spiritus sancti amore erga nos, qui elucet ex iis quæ nostri causa præstiterint. De Dei beneficiis in nos collatis.* 13. *Ex gemina autem ea persuasione nascitur fiducia, cum in solidum à Deo pendemus. Expende Symbolum.*

14. R.

14. R. Aperit cor, ut Deo loquenti in verbo & sacramentis credamus.

Q. *Quid est Dei verbum?*

15. R. Quicquid Veteris ac Novi Testamenti libris continetur.

Q. *Verbi Dei quot partes?*

16. R. Duæ: Lex & Evangelium.

Q. *Quid est Lex?*

17. R. Doctrina Dei, debitum à nobis exigens, & quia non sumus solvendo, damnans.

Q. *Quid Evangelium?*

18. R. Doctrina Christum cum omnibus suis bonis offerens, debitumque nostrum ab eo solutum, nosque liberos esse proclamans.

Q. *Quid Sacramenta?*

19. R. Sigilla Dei, significantia & donantia nobis Christum cum omnibus suis bonis.

Q. *Quæ hæc Christi bona?*

20. R. Amor Dei, Spiritus sanctus, unio nostri cum Christo: unde remissio peccatorum, sanatio naturæ, spiritualis nutritio & vita æterna.

Q. *Quot sunt Novi Testamenti Sacramenta?*

21. R. Duo: Baptismus, & sacra Cœna.

Q. *Quid Baptismus?*

22. R. Sacramentum insitionis nostræ in Christum, & ablutionis à peccatis.

14. *Undique abstractum est cor hominis, tenebrisque & omni perversitate refertum, ut nullus sit aditus Dei verbo, aut ullæ rei bonæ.*

15. *Sed Spiritus sanctus accedens id aperit, faciem cœlestis veritatis infert & hoc Angiæ stabulum expurgat.*

16. *Deus lege exigit debitum suum: debitum autem est, ut aut legem exiquamur, aut æterne pereamus: elucet hic Dei justitia; Evangelio declarat, & Sacramentis obsignat hoc debitum esse solutum à Christo, nosque liberos, si Christus fiat noster: sit autem noster si credimus.*

17. *Atque hic elucet Dei misericordia; nirsbiq; vero hominis miseria absq; Christo.*

18 *Nam Sacramenta non modo significant Christum sed eum etiam donant cum omnibus quæ habet, imo esse nobis in verbo donatum confirmant, & obsignant: sunt enim sigilla. Ergo quid si sic definiam Sacramenta, sunt Dei sigilla certum me facientia, Christum esse mihi donatum cum omnibus suis bonis.* 19. *Nam Deus Christum cum omnibus quæ habet in verbo nobis offert.* 20. *Nos fide accipimus & possidemus.* 21. *Spiritus autem sanctus hanc possessionem Sacramentis obsignat.* 22. *Baptismus obsignat cœlestem nativitatem; Cœna, educationem nostri in Ecclesia.*

Q. *Quid*

23. *unum cum Christo facti, quicquid ille habet, nos accipimus & quicquid ab eo præstitum est. Deus nos existimat id omne præstitisse. Nos ergo in Christo satisfecimus pro peccatis: nos cum Christo peccatum crucifiximus, ne in nos ultra tyrannidem exerceret; nos in illo tam placemus Deo ac si nunquam peccaßemus: Christus liberavit nos tam à damnatione peccati, tum à damnatione seu tyrannide. Mortuus est enim peccato, & pro peccato. Qui mortuus est pro peccatis, meritus est nobis remissionem; satisfecit enim, unde reatum & damnationem abolevit. Quia autem mortuus est peccato, peccati tyrannidem fregit, simulque sanavit naturam, peccatum enim cum eo crucifixum est & extinctum, nos liberat. Hinc perpetua in nobis resipiscentia & totius naturæ renovatio.*

Q. *Quid insitio nostri in Christum?*

23. R. Unio nostri cum Christo unde manat remissio peccatorum, & perpetua resipiscentia.

Q. *Baptismus quid juvat fidem?*

24. R. Testatur, ut qui corpus abluitur, sic operante Spiritu sancto, à peccatorum reatu & radice per fidem in sanguine Christi, nos repurgari.

Q. *Quid est sacra cœna?*

25. R. Sacramentum spiritualis nutritionis nostræ in Christo.

Q. *Cœna Domini quid juvat fidem?*

26. R. Testatur, ut pane & vino corpora nostra aluntur, & augescunt, sic animas nostras, corpore & sanguine Christi crucifixi, ali & corroborari, ad vitam æternam.

Q. *Corpore & sanguine Christi quomodo alimur?*

27. R. Dum fide percipimur, & Spiritus sancti, qui una adest, vi, ea nobis applicamus.

Q. *Quando fide percipimus & nobis applicamus corpus Christi crucifixi?*

25. *In peccati sunt duo, reatus & radix: Reatus est obligatio ad pœnam ob peccatum; Radix est corrupta natura, unde peccata manant; Christus morte sua utrumq; sustulit. Reatum quidem dum meritus est peccatorum remissionem. Radicem dum peccatum cruci affixit, vi mortis ipsius est peremptum.* 25. 26. *ut Baptismo nascimur Dei filii, ita cœna nutrimur, & in robustos & perfectos viros augescimus.* 27. *Nil à Deo ad salutem accipimus, nisi interventu fidei: Ne enim persuasum habeas te accipere, non accipis ea; Quæ morte meritus est Christus operante Spiritu sancto duntaxat accipimus: Nam Spiritus est qui vivificat, caro non prodest quicquam.*

28. R. Dum

28. R. Dum nobis persuademus Christi mortem & crucifixionem, non minus ad nos pertinere, quam si ipsi nos pro peccatis nostris crucifixi essemus: persuasio autem hæc est veræ fidei.

Q. Vera fides quomodo dignoscitur?

29. R. Per bona opera.

Q. Quomodo cognoscuntur bona opera?

30. R. Si Dei legi respondeant.

Q. Recita Dei legem?

31. R. Audi, Israel, Ego sum Dom. &c.

Q. Hæc lex de quibus te admonet?

32. R. De officio meo erga Deum, & erga proximum.

Q. Quid officii debes Deo?

33. R. Supra omnes eum ut amem.

Q. Quid debes proximo?

34. R. Eum ut amem tunquam meipsum.

Q. Potis es hæc præstare?

35 R. Minime gentium: nam tantisper dum hic vivimus, habitat in nobis peccatum.

Q. In Dei filiis quid hinc existit?

36. R. Perennis pugna inter carnem & Spiritum.

Q. In hac pugna quomodo nobis versandum?

28. *Quidni id nobis persuademus; si Christus sit noster, omnia quæ Christus habet fiunt nostra ab ipso jure. Si caput est Christus, nos ejus membra, quæcunq; aut fecit aut perpessus est, ea Deus nobis accepta fert: Mors ergo & merita omnia denique Christi sunt nostra judicio Dei, ut Deus jam nil adversum nos habeat magis quam adversum ipsum Christum.* 29. *Nam fides cum malis operibus esse nequit; quia is qui fidelis est, vir bonus necessario est; bona autem natura est bene agere. Ubi fides, ibi regnat Dei Spiritus. At ubi mala sunt opera regnat Diabolus.*

30. *Qui fidem habet, habet Christum; at qui possidet Christum; num malus erit? Num Deus dedit tibi filium suum, & Spiritum Sanctum, ut Diabolo servias?* 31, 32. *In bono opere duo sunt.* 1. *ut sit bonum.* 2. *ut bene fiat, ex fide scilicet ad Dei gloriam dat quisquam Eleemosynam, si ad ostentationem, ut Mat.* 6. 22. *bonum, opus facit, sed non bene.* 33, 34. *Supra teipsum amare debes Deum, at proximum ut teipsum; Dei gloriam ergo promoveris, quamvis tibi exitio sit futura quanto magis, cum nostrum sit summum bonum & felicitatem unice pariat,* 35, 36. *Caro sunt omnes vitiosi affectus in homine, ipsaque vitiositas; Spiritus est sanctitas, sanitasque naturæ & boni motus inde promanantes, operante Dei Spiritu: Verum hæc sanctitas dum vivimus, imperfecta est, ut vitiositatem nequeat penitus expurgare, & expugnare. Hinc pugna hæc, Spiritus enim est à Deo, Caro à Diabolo.*

37. R. Assidue

37. *Duo hostes intra nos, quibuscum jugiter deluctandum,* 1. *Peccata.* 2. *Naturæ corruptio, unde tentationes: Hinc in oratione Dominica petimus, peccatorum remissionem, & victoriam de tentationibus.* 38. *Hæc omnium precationum norma esse debet, quæ licet discrepent verbis, re certe & sensu non discreparent.* 30 *Duo nos certos facerent. Deum nos exauditurum.* 1. *Quia toties, & tam serio petere jussit Homo quispiam paulo humanior, nedum pater num juberet petere, quod nollet dare?* 2. *Quia ultro & sæpe pollicitus est se daturum. Cur esset pollicitus? num gloriatur fidem fallere, & nos decipere?* 40. *Ante accepta beneficia vult nos petere; post accepta, gratias agere. Nil præterea pro tot beneficiis exigit* 41. *Si feceris quod præcipitur in Scriptura, non dubium est quin Deo sis placiturus, salutemque consequuturus. Quid opus ergo aliis, O Papista, ad Dei cultum?*

37. R. Assidue orandum, ut Deus peccata nobis remittat, imbecillitatemque sustentet.

Q. *Quomodo orandum?*

38. R. Ut nos docuit Christus, Pater noster qui es, *&c.*

Q. *Qui tibi persuades, Deum donaturum quæ petis?*

39 R. Quia orare jussit, pollicitusq; est quicquid peterem in Christi nomine, se mihi largiturum.

Q. *Quid debes Deo pro tot beneficiis?*

40 R. Ut ei gratias agam, perpetuoque serviam.

Q. *Quomodo Deo serviendum?*

41. R. Ex verbi ipsius præscripto, ut jam dictum est.

F I N I S.

P R E C E S.

Peccati Confessio.

NE intres in judicium cum servo tuo, Domine, quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens. Delicta juventutis meæ, & ignorantias meas ne memineris; sed secundum misericordiam tuam memento mei, propter bonitatem tuam respice me, & miserere mei, quoniam Deus meus es tu,

Pre-

Precatio matutina.

QUandoquidem tu Cœleſtis Pater, cum in Cœlis, tum in terris, unus ille omnipotens Deus ubique gentium & locorum es, & uſque permanebis, te ex animo ſuppliciſſime precor, ne ſinas ut in meam, neque ut alii credentes in ſuam voluntatem hunc diem convertamus, neque ut ad pravum arbitrium noſtrum abutamur, ſed ad paternam tuam voluntatem, æternum conſilium, verbum illud tuum ſalutiferum, tumque beneplacitum rectè intueamur, & veraci corde perficiamus, quo nomen tuum divinum, per nos miſeros peccatores nunc & ſemper ſanctificetur, per filium tuum Ieſum Chriſtum. Amen.

Precatio pro Docilitate.

AUdi preces meas, æterna Patris Sapientia, Domine Ieſu Chriſte, qui teneræ ætati docilitatis commoduus addidiſti. Adde quæſo ad naturæ propenſionem, auxilium gratiæ tuæ, ut literas, ac liberales ſcientias perdiſcam, ſed tuæ gloriæ ſerviturus, quarum adminiculis adjuta mens mea plenius aſſequatur cognitionem tui; Quem noſce ſelicitatis humanæ ſumma eſt. Utque ad tuæ ſanctiſſimæ pueritiæ exemplum, indies proficiam ætate, ſapientia & gratia apud Deum & apud homines. Qui vivis & regnas in conſortio Patris, & Spiritus ſancti In æterna ſæcula. Amen.

Conſecratio Menſæ.

OCuli omnium in te ſperant, Domine, & tu das eſcam illis in tempore opportuno: Aperis tu manum tuam, & imples omni animal benedictione; Benedic nobis Pater cœleſtis, & his donis quæ de tua largitate ſumus ſumpturi, per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

Precatio alia ante deguſtationem.

PAter cœleſtis, qui pro tua benignitate paſcis omnia, neque in multis paſcendis tenuior, neque in paucis copioſior es, qui nulla lege rerum teneris, effice, rogamus, ut his cibariis refecti, tuam inexhauſtam in Chriſto liberalitatem & beneficientiam recognoſcamus, qui verus es, & indeficiens animæ cibus. Amen. *Pater noſter*, &c.

Gra-

Gratiarum actio poſt cibum.

QUandoquidem nos, Domine, donis tuis, omnipotens & miſericors Deus, exſatiaſti, effice ut poſthac quod per nos fieri, aut ſecus velis diligenter obſervemus: Atque illud animo ſincero effectum præſtemus, per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum, Amen. *Pater noſter*, &c.

Alia.

QUi nos creavit, redemit & pavit, benedictus ſit in æternum, Amen. *Pater noſter*, &c.

Gratiarum actio de profectu in ſtudiis ſub Veſperam dicenda, è Schola redeuntibus.

NOs tibi, benigniſſime Domine, Ieſu Chriſte, qui fons es & dator omnis ſapientiæ & intelligentiæ, ſine quo omnia noſtra ſtudia ſucceſſu carent, agimus gratias quod mentes noſtras tua gratia illuminaſti ad percipiendas honeſtas diſciplinas: Da quæſimus, ut quicquid bonarum literarum hoc die addidiſcimus, fideli id quoque memoria retineamus, & in uſum melioris vitæ profectus literarum imitando trahamus: ut indies pietatem honeſtis moribus & bonis literis feliciter promoveamus, comparantes nobis doctrinam qua uti poſſimus, ad gloriam tui nominis illuſtrandum, & utilitatem proximorum augendam, atque noſtram ipſorum ſalutem, Amen. *Pater noſter*, &c.

Alia precatio.

OMnipotens, juſte, & miſericors Deus: ne patiaris ſanctiſſimum nomen tuum propter peccata noſtra effici contumelia. Nam alicqui plus ſatis te benignum patrem offendimus, dum verbo tuo, ut par erat, non obedimus: dum ignorantia, ingratitudine, & murmure noſtro iram tuam quotidie adverſus nos concitamus, atque iſta juſtas pœnas nobis attrahimus. Veruntamen, O Domine, miſerere noſtri pro magna tua miſericordia, fac ut peccata noſtra & rectius agnoſcamus, & magis deploremus, & vitam noſtram emendemus; excita, & corrobora Magiſtratum populi tui, ut gladio, quem ei, porrexiſti ad terrorem & ſecuri-

tatem

tatem legitime utatur; Confirma Ministros Ecclesiarum tuarum, ut fideliter ac constanter verbum tuum doceant, & omnes officii sui partes obeant. Tuere ac defende nos ab omni dolo, perfidia, irrita fac omnia scelera, atque insidiosa consilia, quæ adversus Ecclesiam & verbum tuum capiuntur. Ne subtrahas nobis verbum tuum, & Spiritum sanctum tuum ne auferas à nobis. Excita in nobis veram fidem, patientiam, & constantiam; Fer opem miseræ & afflictæ Ecclesiæ tuæ, libera eam omni tyrannide & ignominia. Consolare & confirma quotquot sunt anima vel corpore afflicti. Da nobis pacem, per Iesum Christum, Filium tuum, Dominum nostrum, qui hanc nobis indubitatem de tua voluntate promissionem edidit: Amen dico vobis; quicquid petieritis à Patre in nomine meo, hoc dabit vobis; eaque fretos nos sic precari iussit. *Pater noster*, &c.

Precatio dum itur cubitum.

EGo tibi, omnipotens & misericors Pater, per Iesum Christum dilectum filium tuum gratias ago, quod me hoc die per gratiam tuam, custodieris: teque rogo, ut mihi omnia peccata mea condones quibus te hoc die offenderim: Item hac nocte mei curam agere, & me defendere velis: Ego enim, Domine, animam ac vitam meam in manus tuas commendo, Sanctus tuus Angelus nusquam discedat à me, ne quid possit in me Satan. Amen.

Pater noster, credo in Deum, &c.

FINIS.